& absolvi propè scriptum illud Satsemianum. Video enim in Epistolam Rosselianam omnes Apostatarum pretextus congestos & meditatissimè scriptam: extemporanea apologia ad Scultetum tanti non est. Interceptæ nescio à quo, sunt literæ alio ad fratrem tuum, quibus ei se purgat & retia tendit: Ed minus urgutè, & mittam ipsi suo tempore. Interea nobilem illum, quem sedupserat apud me diversantem & ad sacra nostra reversum, mirum, quam illecebrosis literis ad vomitum revocârit; Habeo & illas penes me. Nec parum hominem turbavit. Accessit denique tractatus ejus, quo vivis & mortuis maledicit nequissimus Apostata, turpior in hoc alijs, quod non potest tegere pudenda suam insuper innocentum hominum & benefactorum suorum infamiam. Imprudentes etiam Sapistæ agnoscent, quasi avem ex cartu, hominem levissimum. Ille ita sugillat, ut deformare tamen non possit, quia scit me beneficisse cuculo. Cæterum ita adorno scriptum, ut ad ejus inanes pretextus & objecta speciosa solidè respondeatur, propter alios, qui talibus nænijs turbari solent. Subjicium esse summarium tractatuli Ἀπόκρυφον. ubi absolvero, mittam D. Leffenio & filio tuo, ut hujus nomine tanquam sodalis prodeat. Pessimè Magistratu justa indignationis causam habuit, quod aluerit cuculum; sed & Brigly Judam aluit in angusto collegio. A domo ingrati nunquam recedet malum. Illud mihi abste firmari velim, quod ad me scripsisti, illum esse ex Latre sacrificio & matre moniali quondam prognatum. Refer ut certò sciam. Vale. Salutà fratres omnes & D. Rosseldium ex me officiosè. Heidelb. 24. Octobris 1609

103.

Eidem Johanni Brantio D. Pareus S. P.

Jampridem amicissime frater, ad Tuas respondere oportuit. Sed nescio quomodo sic variè distinear. ut mihimet obsequi semper mihi non liceat. De Cutsemiana Apostasia nil aliud nunc dico,

nisi foedissima levitatis atq; ingratitudinis macula hominem se contaminâsse, cujus Deo poenas dabit suo tempore, nisi resipuerit. Gloriatur de Nobili Rechenbergio, quem Aurelia seduxit. Sed scito optimum juvenem nunc in meo convictu esse, et post multas disceptationes tandem manus dedisse, resipuisse et nobiscum communicâsse, divina gratia. Utinam ille idem faceret protinus. Pater ejus misso ad Facultatem nostram tabellario consilium requisivit. Suasimus ad nos eum ut remitteret, polliciti omnem nostram operam, et tum cessit. Nescit dum pater ejus Vir primarie nobilitatis. Brevi id magna cum lætitia sperò cognoscet. Rara sunt talis resipiscentiæ exempla. Ad rem quod attinet, diligenter legi literas ejus ad D. Kasseldium et apologiam ad Senatum. Vult sanè tegere turpitudinem suam, et nefariè calumniatur præceptores bene merentes. Operæ pretium dupli retexere singula et refutare scripto publico solidè quæram. causæ Apostatis ferè nunc communes sunt, de authoritate Ecclesiæ, de nostrorum dissidiis, bonam partem jam pertexui. Mittam ad vos, v. h. opportunè, ne larva ejus cuiquam imponere possit. Filius tuus bene habet, et charus est heros suo h. Lessenio, qui his diebus nobiscum fuit. Fungitur simul munere Ecclesiastico, salario honesto, neq; id obfuturum est studiis ejus, imò multum ei proderit hæc exercitatio. De vicinis vestris turbis audimus varia utinam sinè armis abeant. Vale Heidelb. 25. Aug. 1603.